



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

S. Meginradvs Ex Comitibvs Svlgoviae Presbyter, Et Monachvs Avgiae
Ordinis S. Benedicti, Primvs Heremi incola, & martyr, Heremitarum
Conditor, & Pater.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



S. MEGINRADVS EX
COMITIBVS SVLGOVIAE

PRESBYTER, ET MONACHVS AVGIAE

ORDINIS S. BENEDICTI, PRIMVS

Heremi incola, & martyr, Heremita-
rum Conditor, & Pater.

HEREMI igitur DEIPARAE MATRIS primus
cultus, honosq; , & religio, ex Meginrado est, Sul-
gouia Comitis F. Eum pater, vbi primum melio-
ris institutionis per aetatem capax mens fuit, ad
Sindeslai insulam, illustrem per ea tempora, Germanicae no-
bilitatis concursu, ad capiendum animi cultum duxit, Erle-
baldoque cognato magnae illo in Monasterio auctoritatis vi-
ro erudiendum tradidit, Carolo Magno Imper. & Hettone,
qui etiam Basiliensis Episcopus fuit, 1x. Abbate. Insulae

A 4

inter

inter vtrumque Acronium, & Venetum lacum sita à Sindeflao Comite, aut presbytero, qui primus incoluit, nominatio est. Sed maximè Pirminius Episcopus celebrauit, condito in eâ, auspicijs Caroli Martelli Francicæ militiæ, & Palatij præfecti, opibus, & fauore Berchtoldi, & Nebij Alemanniæ principum, nobili Monasterio A. D. N. DCCXXIV. Quod quidem breui opulentiâ, & potentiâ tantum præualuit, vt, prisca desitâ, Reichenaugiæ, siue Diuitis insulæ reperit, retinueritque apud posteros denominationem. Augiam etiam, Germanico vocabulo, & Maiorem ad Rheni Insulæ inferioris, aut alterius latus, differentiam veteres scriptores dixerunt. Pirminio successit Etho, qui factus Argentinensis Episcopus Ethenheim Cœnobium exstruxit, mox Keba, tum Ernfridus, Sidonius, Ioannes, qui tres postremi etiam Episcopi Constantienses fuerunt, Petrus, Valdo, & denique, quem supra memorauimus, Hetto. A. D. N. DCCC. VI. Hoc in monasterio, & sub eo Abbate, doctore, & eductore Erlebaldo, exiguo spatio Meginradus eò progressus est, facile vt socios, & atate pares, mox & ceteros virtute, & eruditione anteuenerit. Sed adolefcētem super omnis liberalis doctrinæ desiderium, pietatis, & rerum diuinarum cupido ingens inuaserat. Itaque verso ex secularibus studio, initiari factis, auctore, & curatore eodem Erlebaldo voluit: tum verò totum se scripturarum sacrarum lectioni dedit, diuinorum oraculorum sensa, ambages, miracula nocturnis, diuinisque meditationibus inquisiuit, hausit, alijs patefecit. Vnde illius magna apud suos reuerentia, penes exteros fama. Interea Hetto multis laboribus, & periculis, Constantinopolitanaq; ad Nicephorum, Michaelēq; Imp. Caroli nomine, legatione perfunctus, cum vitam priuatam, & quietā diuinorum mysteriorum contemplationi deditam, vtrūque dignitati, & Basiliensi Episcopatu, & Abbatia antetulisset, factus Augiensis Abbas antedictus Erlebaldu, qui, iam ab principio erga Meginradum propensior, non destitit, donec vitā solitariam, diuicq; Benedicti P. N. formulæ subiectam iniret, adeoque religionis professionem faceret. Et eodem prope tempore Bol-

linga.

A. D. N.

DCC. X.
XIV.

A. D. N.

DCC. VI.

A. D. N.

DCCC.
XXII

linga, non contemnendo tum Monasterio, dextro laci Tigurini margine supra vicum Ionam, aduenere qui doctorem poscerent, & rectorem. Erlebaldus, legatione audita, & consideratis omnibus, Meginrado nepote aptiorem reperit neminem. Missus Bollingam non minus moribus, & pietate, quàm doctrinâ sibi subiectos imbuit, regionemque vniuersam amore sui iuxta, atq; veneratione repleuit. Vnde alij alijs de causis eo saepe, & frequentes ventitare, ipsum audire, dictis, & monitis obtemperare, prorsus apud omnes auctoritate, & nomine magno esse. Sed mox ab illo ex quo religionem ingressus est, solitudinis illum cupiditas ingens, & amor cæperat. Cognito demum alterâ lacus parte montem excelsum esse, Ecelium adcolæ vocabant, & sub eo versus meridiem immensam solitudinem, cui Obscuræ siluæ, ex arborum densitate, & tenebris, fecerant nomen, adsumto tandem in comitatum ex discipulis vnico, cum ipsemet inscendere, lustrareque constituit, emensoq; lacu, paucis horis in cacumen euasit. Ne vltra progredere, qui sese ex viciniâ addiderant rustici per belluarum formidinem, quarum scatere aiebant siluam, prohibuere. Meginradus, monte relicto, in proximum vicum Altendorf nominatum Ecelij in radice, infra Castrum Raperfuillæ veteris, D. Ioannem nunc vocant, ab eiusdem Diui facello, eo tempore Comitum Raperfuillensium sede celebratum, apud piam Viduam deuertit, cuius humanitate, & integritate perspecta, secreto conferre capit, foretne qui presbytero inopi, socijsque fortè an nonnullis Ecelium incolere, Deoque famulatum ibidem habere cupientibus vitæ necessaria saltem suppeditaret. Quæ cum annuisset, sibi que per Dei benignitatem, & liberum orbitate, non modo opes superesse, sed eas rectè pios in vsu collocare posse, & cupere, Meginradum magnæ spei plenum abs sese dimisit. Ipse Bollingam reuersus est. Nec multum interfuit, & viduæ promissis, & sumapte cupiditate, multis interea erga diuinam Maiestatem, ccepta vti prosperaret, rataq; iuberet, precibus, anno nondum ex quoadfuerat post lapso, Erlebaldi Abbatis in id impetratâ gratiâ, & licentiâ Ecelium insidet, congestuque cæspitum, ta-

morumq;

A. D. N.

DCCC.

XXXII.

morumque, & truncorum, quos locus, & fors obtulerant in speluncæ formam habitaculum exstruit, sedemque figit. A. D. N. 10000. xxxii. Vidua ubi ea quæ euenerant intellexit, non modo quæ victui erant liberaliter largita est, sed ad vsum quoque cellam mediocrem, & iuxta facellum, ædificari curauit, quod nunc quoque S. Meginradi in Ecelio Sacellum seruat nomen. Eo in loco anni septem per ieiunia, vigiliæ, preces, sacras lithurgias, alia pietatis exercitamenta consumti. Ceterum remouerat se Meginradus hominū ex consortio, non homines à se. Quamobrem etsi montem asperum, incultum, inuium tenebat, viliquæ cellâ claudabatur, multis tamen frequentabatur, longeq; & latè sanctitatis opinione percrebuerat. Vnde interioris solitudinis penetrandæ, turbæ, & concursus vitandi, consilium natum. Accidit vt eodem tempore nonnulli è Bollingâ monachi, tanquam magistrum, & vitæ, disciplinæque exemplum visitarent. Illis comitantibus per speciem piscationis, proximis riuus, Sillâ præfertim amne, condensam, & impeditam siluam Meginradus ingressus est. Et socij quidem in Sillâ consilij expertes periculum fecere. Ipse interim spatiabundus, ac veluti aliud agens, eousque processit donec in planiciem incidit, altissimis arboribus circum circa solam, & horridam, ceterum amne, Albâ posteris vocato, & paullo suprà aquæ scaturigine vberimæ, & limpidissimæ, DEIPARÆ MATRIS modo fontem nominant, longe, vt sibi videbatur, amœnissimam, & destinatis opportunissimam. Ipsam igitur capere decreuit. Et subito quidem ad Sillam reuersus, indeq; ad Ecelium, socios lætos, & prædæ compotes Bollingam porro remisit. Paucis hinc diebus ad viduam, cuius opibus hætenus vitam tolerarat, profectus, pro beneficijs acceptis gratias habuit, sumtaq; qua apud Ecelium vsus fuerat, suppellectile, ea quattuor aut quinque libellis consistebat, quorum præcipui Regula S. Benedicti, scripta Casiani, Missale, homilia, vt Augiæ testantur annales, in eam, quæ legerat, optaratque vastissimam Siluæ obscuræ Heremum se abdidit. A. D. N. 10000. xxxviii. Gregorij iv. Pontific. anno XI. Ludouici I. Pij Imper. XXV. Salomonis I.

A. D. N.

DCCC.

XXXVIII.

Constan-

Constantiæ Episcopi VII. Erlebaldi Augiæ Abbatis XVI. teste Hermanno Contracto eiusdem Augiæ Monacho. Fabricabat sub idem tempus Ludouicus Germaniæ Rex, Pij Imp. F. Tiguri, cã tempestate, DD. Felicis, & Regulæ & Exsuperantij gloriosorum martyrum memoriã, & veneratione vico nobili, Sanctimonialium monasterium, eique Hildegardim filiam præposuerat, quæ Meginradum apud Ecelium agitantem cum sæpius visitasset, vbi locum mutasse comperit, missis, qui omnia necessaria offerrent, Cellam illi ædificari iussit, & prope Sacellum, quod ipse VIRGINIS MATRIS nomine, & titulo coluit, exemplumque alijs frequentandi dedit. Deniq; quæcunq; victui, cultuique erant, eadem Hildegardis, alijque vicini vltro, & munificè promiserunt, adeo omnes viri sanctitas, & innocentia in admirationem sui, & amorem incenderant. Atq; ex hoc principio solitudinis Obscuræ filuæ, siue HEREMI, prima cultio, & religio, Heremitarumque frequentia, & incrementa. Nam postea DEI genitricis multis rebus admirandis ibidem singulariter comperta gratia, & præsentia, postremo, toto orbe, famam loco, & reuerentiam longissime, latissime propagauit. Ceterum singulis quibusque annis quæ Meginrado in solitudine aduenerunt, donec ibidem vitam exiit, quia parum cognita, & distincta, & eius postea vitam pluribus, vti veteres tradiderunt, adiungemus, quæ interea alibi successerunt breuiter adnotabimus. Anno

A. D. N.

DCCC.

XXXIX.

A. D. N.

DCCC.

XL.

tuo, tur-

tuo, turbauerat, contra filium duxit, acieque profligatum magno periculo in Bauariam repulit. Valetudine hinc ingrauescente, cum ad Rheni insulam prope Ingelheim reuertisset, positis castris aliquandiu substitit, donec, morbo superante, ibidem extinctus est XII. Kal. Iulij & ad D. Arnulphi Metis sepultus. Lotharius, paternâ designatione, Imperium inijt, & subito in fratres, qui se coniunxerant, contraque se arma ceperant conuertit. Anno octingentesimo quadragesimo primo, Rhenum, & vicina, ne coniungi possent, aduersus Ludouicum firmavit, contra Carolum copias duxit. Sed mox Ludouicus, Adelberto Comite, cum omnibus Lotharij in Rhetiâ præfidiarijs, III. Idus Mal. profligatis, ad Carolum peruenit, iunctisq; copijs apud Fontaniacum Antisiodorensis agrivicum VII. Kal. Iulij memorabili in omnē posteritatem prælio decertauit, Lotharium castris exiit, & Aquas Grani repulit. Prælio Fontaniaco ita attritæ Francorum vires, & virtus debilitata, vt iam non amplius promouēdis Imperij finibus, sed neque retinendis suffecerint omnium scriptorum testimonio. Anno octingentesimo quadragesimo secundo, Lotharius, collecto exercitu, rursus in fratres mouit. Ipsi apud Argentoratum iterum xv. Kal. Aprilis vicerunt, & fuderunt, regnumq; eius cis Alpes inter se diuiserunt. Postremò xl. viris & vniuersali Episcoporum Franciæ examini fratrum discordia, & totius Imperij diuisio permessa. Rodhelino, in Augiâ successit Valefredus Strabo abbas xii. cuius multa ingenij vtraq; oratione eximia monumenta. Anno sequenti, conuentu fratrum Viroduni, & amicitia, partitioneq; Carolus, cui postea Caluo cognomentum, Franciam Oceano, Mosâ, Rhodano terminatâ: Ludouicus Germaniam, Pannoniam, Noricum, & Allemanniam: Lotharius Italiam, & hinc medius incedens inter fratres Galliam Belgicam, quam Lotharingiam de se dixit, Burgundiam, & Prouinciam accepit, & Imperatoris titulum: Reges, hic Germaniæ; ille Franciæ nominati. Anno octingentesimo quadragesimo quarto, Gregorio iv. Pontifici (nostri fuit is primo ordinis, & Fossæ nouæ prope Terracinam Campaniæ ciuitatem Monachus) cui,

inter

A. D. N.
D. CCC.
XLI.

A. D. N.
DC CC.
XLII.

A. D. N.
DCCC.
XLIII.

A. D. N.
DCCC.
XLIV.

inter alia, festi omnium sanctorum kal. Nouembris institutio: Succesit Osporci, Sergij nobilis Romani F. vir magnæ eruditionis, & virtutis, & in quo, præter nomen, nihil reprehensum. Vnde desiderio, & precibus P. R. Qui id vocabulum tantæ dignitati parum decorum querebatur, mutauit, paternumque adiunxit, & se Sergium II. dixit. Inde mutandi nominis inter coronationis sollennitates successoribus exemplū quidam tradidere; alij quidquid de hoc Osporci nomine traditur ad fabulas referunt, & mutandi nominis originem, & causam ad Sergium III. Neque vero id euenisse turpitudine nominis sed causa reuerentiæ. Quod cum Petrus vocaretur, indignum se eo nomine iudicauisset quod ad Principem Apostolorum proprie pertineret. Anno octingentesimo septimo & quadagesimo, Sergio defuncto, creatus Leo I V. & ipse nostri ordinis monasterij S. Siluestri Romæ. Suburbium Vaticanum, in quo Basilica S. Petri, & Pontificale palatium, mœnibus contra impetum Saracenorum cinxit, & de se Ciuitatē Leoninam nominauit. Laicos in choro, siue presbyterio inter sacrorum sollēnia adistere vetuit. Iuxta Ecclesias scholas, & gymnasia, in quibus disciplinis melioribus imbuerentur clerici, ædificari voluit. Eodem anno Rabanus Moguntiaci Archiepiscopus Synodum omnium suæ prouinciæ Episcoporum celebrauit, cui proinde etiam Salomon Constantiensis interfuit. Ex eius quoque Episcopatu puella delata vaticinij nomine vulgò frequentata, & celebris, cum ad flagrum condemnassent vaticiniorum desijt. Anno sequenti Valfredo in Augiâ successor Folcuinus abbas XIII. Anno octingentesimo quinquagesimo quinto Leoni successit Benedictus III. Romanus. Instituit vt funeribus presbyteri, & diaconi interessent honorandi corporis defuncti, & commendandæ animæ. Lotharius Imper. eodem tempore religionem nostram Benedictinam Brumiæ professus est, pœnitentiam de peccatis in Deum, & parentem Ludouicum acturus grauem illam, sed perbreuem. Eodem enim anno obiit III. Kal. octobris. Regnum inter filios diuiserat. Ludouico Imperium, & Italiam relinquens, Lothario Austrasiam, siue Lotha-

*A. D. N.**DCCC.**XLVII.**A. D. N.**DCCC.**XLVIII.**A. D. N.**DCCC.**LV.*

B ringiam

A. D. N.
DCCC.
LVIII.

ringiam cum Burgundiâ minore, Carolo Burgundiæ regnum, Prouinciam, Sabaudiam. Anno octingentesimo quinquagesimo octauo, Benedicto defuncto, lectus pontifex Nicolaus I. absens, & inuitus. Instituit, adprobante Imper. Ludouico II. ne Princeps vllus secularis, Rex, aut Imperator interesse concilij clericorum ausit, nisi cum de fide agitur. Tum verò fas, & æquum censuit. Folcuino quoque apud Augiam desiderato, Valtherius abbas constitutus XIII. Eodem anno Ludouicus Germaniæ Rex, crebris Francorum Caroli tyrannidem deprecantium legationibus fatigatus, tandem exercitum in Galliam duxit, fugatoque Carolo, & cunctis primoribus vltro deditis, regnum pro arbitrio constituit, donec, rebellatibus Sorabis, in Germaniam redire coactus, Carolus

A. D. N.
DCCC.
LX.

omnia recepit. Anno octingentesimo sexagesimo, Conuentum apud Confluentiam Rheni fecerunt reges tres Ludouicus Germaniæ, Carolus Franciæ, Lotharingiæ Lotharius, pacemque, & amicitiam sacramento inter se iurauerunt. Anno octingentesimo sexagesimo primo, Ludouicus Germaniæ comitia Ratisbonæ celebrauit, perduelles nonnullos, & majestatis suspectos honoribus, & muneribus priuauit, Carolomanno quoque filio Carinthiæ duci infensus, quasi res nouas molienti. Ibidem sanctimonialium monasterio, quod Tiguri condiderat, Tigurum ipsum, & adjacentia, albim saltum, & Vraniam regionem, cum Ecclesijs, ceterisque eius iurisdictionis, tota & integra consignauit in honorem DEI, & beatorum martyrum Felicis, & Regulæ perpetuam inibi venerationem, & memoriam. Eadem rursus omnia filia Hildegardæ, quam eidem, vti diximus, monasterio, prefece- rat, proprietati dum viueret, & muneris concessit, sola aduocatione sibi referuata. Eius rei instrumentum ita se habet.

In nomine sanctæ, & indiuidua Trinitatis. H Ludouicus, diuina fauente clementia Rex. Si de rebus terrenis, quas sumus diuinâ largitate consecuti ad loca sanctorum ob diuinum amorem, regium morem decenter implentes, aliquid conferimus, hoc nobis esse profuturum ad aterna remuneracionis premia capessenda liquido credimus. Qua propter comperiat

omnium

omnium fidelium sanctæ DEI Ecclesiæ, nostrorumque presentium scilicet, et futurorum industria, qualiter nos pro Serenissimi Imperatoris avi nostri Caroli, et prestantissimi Hludewici Augusti Domini, ac genitoris nostri, nec non et nostra sempiterna remuneratione, ac proconiugis, prolisque nostra charissima perpetua mercede curtim nostra Turegum in Ducatu Almannico, in pago Durgaugesi cum omnibus adiacentibus, vel aspicientibus eius, seu in diuersis functionibus, id est, pagellum Urania, cum Ecclesiis, domibus, ceterisque adificiis desuper positis, mancipijs utriusque sexus, et atatis, terris cultis, et incultis, siluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adiacentibus, peruiis, exitibus, et regressibus, quaesitis, et inquirendis, cum uniuersis censibus, et diuersis redbhibitionibus: Insuper etiam forestum nostrum Albis nomine et quid quid in eisdem locis nostri iuris, atque possessionis iure proprietatis est, et ad nostrum opus instanti tempore pertinere uidetur, totum, et integrum ad Monasterium nostrum tradimus, quod situm est in eodem uico Turego, ubi sanctus Felix, et sancta Regula martyres Christi corpore quiescunt. Quod nobis uidelicet eorationis tenore complacuit agendum, ut deinceps in posterum ibidem omni tempore sanctimonialium feminarum sub regulari norma degentium, uita, conuersatioque monasterialis, monasticocultu instituta, celebretur, et libentius propter huius loci supplementum à nobis iam predictis Martyribus debiti DEI famulatus illic exhibeatur, ac pro nostra, debitorumque nostrorum omnium mercedis augmento diligentius, ac uberius Domini misericordia exoretur. Volumus etiam ut fidelium nostrorum nouerit beneuolentia, quod paterna pietate commoniti suprascriptum monasterium, cum omni integritate, una cum nostra traditione, in locis prefatis dilectissima filia nostra Hildegarda in proprietatem concessimus, ut quanto, Domino permittente, valeat in eodem Monasterio, Domino militante, suoque dominatui subiectam disciplinis regularibus, et obseruatione monasteriali institutione corrigat, et nutriat, locaque ipsa sibi met concessa, quantum vires suppeditent, profectibus, et emendationibus augmentando prouehat, ac emen-

det. Denique iubentes precipimus ut nullus Iudex publicus, nec Comes, nec quisquam ex iudiciaria potestate in locis præfatis, vel in cunctis rebus ad eadem loca respicientibus, seu homines tam liberos, quam & seruos qui illic commanere videntur, distringere, aut infestare, nec fideiussores tollendo, aut vllas redhibitiones, vel fredas, aut bannos exigendo, aut alicuius iniuriæ vim vllò vñquã tempore inferre præsumati sed sub nostra defensione, & immunitatis tuitione cum advocatis ibi constitutis res illa secura per diuturna tempora permaneant. Et ut hac auctoritas donationis, atq; confirmationis nostræ firmiter habeatur, & per futura tempora à cunctis fidelibus Sanctæ DEI Ecclesiæ, nostrisq; presentibus, & futuris verius credatur, atque diligentius conseruetur, manu propria nostra subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione assignari iussimus.

Data XII. Kal. Augusti, anno Christo propitio XX. regni domini Hludewici Serenissimi regis in Orientali Franciâ. Indictione prima Actum in Regenespurg in DEI nomine feliciter. Facta interim totâ Germaniâ maximè Rhenanâ annoræ caritas, & fames. Anno octingentesimo tertio & sexagesimo pleraque omnia Heremitarum monumenta MEGINRADVM morte interfectum produunt. Alij varie memorant. Nam Sigebertus euenisse refert anno octingentesimo quinquagesimo sexto. Trithemius, Surius, & Baronius anno octingentesimo sexagesimo. Hermannus Contractus, anno sexagesimo primo supra octingentesimum. Cunradus denique à Liechtenau Ursbergensis abbas anno octingentesimo sexagesimo secundo. Nostræ, inquam, memoriæ fermè omnes anno octingentesimo tertio & sexagesimo extinctum adfirmant XII. Kal. Februarij. Nicolaj Magni pontificis anno VI. Ludouici II. Imper. VIII. Salomonis I. Constantiensis Episcopi XXXII. Valtherij Augiæ abbatis VI. Et recte. Nam cum eius vitæ scriptor annos XXVI. in Heremo obscuræ Siluæ vixisse tradat, & Hermannus Contractus octingentesimum tricesimum octauum notat, quo in eam transijt, putata ex eo annorum ratio ad sexagesimum tertium, annos XXVI. efficiet. De MEGINRADO porro & eius morte ita supra me-

moratus

A. D. N.

DCCC.

LXIII.

moratus Hermannus. MEGINRADVS *Augia monachus,*
 & primus incola Heremi quæ Thuricino adiacet lacui à qui-
 busdam latronibus inibi XII. Kal. Februarij peremptus post
 mortem virtutibus claruit, *Augiaque sepultus est.* A quo
 usque hodie Heremus ipsa à sanctis, & religiosis viris in no-
 bile, & famosum iam dudum excreuit cœnobium. Et Marti-
 nus penitentiarius. S. MEGINRADVS primus incola He-
 remi quæ Thuricino adiacet lacui à duobus latronibus inibi oc-
 ciditur. XII. Kal. Februarij, & ab angelis lucis suscipitur:
 & in cœlesti fulget vita Martyr, Presbyter, Monachus, &
 Heremita. Cæterum vbi ad Valtherium abbatem MEGIN-
 RADI necis nuncius allatus, quæque euenerant percepit, ni-
 hil prius habuit, quam sui Monasterij alumnus, multâ jam
 ante innocentia, & sanctitudine, jam quoque martyrio,
 & miraculis celebrem, & venerandum in Augiam deferre.
 Missi qui exsequerentur, cum ex Heremi cellâ ad eum quem
 principio incoluit Ecelij locum produxissent, quocunque
 conatu adhibito, qua vehabatur rhedam situ dimouere ne-
 quiuere. Itaq; facto consilio intestina inibi condidere, & po-
 stea facultas facta vltra procedendi, tamquam suæ quoq; ha-
 bitationis solitariæ primo receptaculo pignus interni amoris
 superesse cuperet, donec ad Augiam ventû est, vbi cætera ma-
 gna celebritate sepelierunt. Quando inde porro eius sacræ re-
 liquiæ in Heremum redierint, & quibus ex causis in tempore
 referemus. HEREMVS ab MEGINRADI obitu absq; assi-
 duo colono, & cultu annos quattuor & quadraginta fuit,
 quibus annis vt instituti operis, & exordij ratio, & continu-
 atio constet, paucis, eodem seruato ordine, quæ euenerere per
 Germaniam subjungemus. Anno octingentesimo sexagesi-
 mo quarto Ludouicus rex cum fratre Carolo foedus renoua-
 uit. Valtherio verò successit Heito abbas xv. Eodem tempore
 corpus S. Othmari, cuius nunc in Heremo multæ reliquiæ, ex
 Insulâ Veneti lacus ad Monasterium S. Galli, cui primus ab-
 bas præfuerat, delatum est. Anno sequenti Ludouicus juni-
 or contra patrē rebellauit, quod Carolo manno fratri propen-
 sior videretur, illi concessis, quæ in suum dedecus, & detri-

A. D. N.

DCCC.

LXIV.

A. D. N.

DCCC.

LXV.

*A. D. N.**D. CCC.**LXVIII.**A. D. N.**DCC.**LXIX.**A. D. N.**DCCC.**LXX.**A. D. N.**DCCC.**LXXI.**A. D. N.**DCCC.**LXXIII.**A. D. N.**DCCC.**LXXV.**A. D. N.**DCCC.**LXXVI.*

mentum interpretabatur. Sed facile victus Luitberti Maguntiaci archiepiscopi auctoritate paternam gratiam recepit. Anno octingentesimo octavo & sexagesimo Nicolao pontifice extincto successit Hadrianus II. Anno octingentesimo sexagesimo nono obiit Placentiæ Lotharius Rex Lotharingiæ. Eius regnum rex Carolus subito invasit. Sed cum inde graue bellum timeretur, Ludouico Germaniæ rege partem hereditatis repetente, cum eo Carolus, anno sequenti, conuenit, Lotharingiamque, & Elfatiam, Burgundiamque minorem reliquit, cetera sibi vindicauit, Quæ utriusq; omnia cum Ludouico Imp. Lotharij frater, hæres proinde propior adfereret, ab Ludouico, quæ petierat, obtinuit: Carolus Nortmānici belli præsentu, quæ occupârat, retinuit. A. octingentesimo septuagesimo primo Salomoni I. Episcopo Constātiensi successit Salomon II. Heittoni Rudlo Augiæ abbas xv. Anno octingentesimo lxxiii. post Hadrianū II. Pōtificatum obtinuit Ioannes VIII. Locustæ ab Orientali in Occidentē vastabundæ irruerunt tantâ multitudine, vt solis lucem excluderēt, magnam primo famem ex agrorum vastitate genuerunt, mox per intereuntium foetorem pestilitatem, quæ tertiam ferme mortaliū partem exstinxit. Anno octingentesimo septuagesimo quinto, Excessit Ludouicus II. Imp. & Mediolani in ædæ D. Ambrosij sepultus, multâ de se relictâ memoriâ, & famâ. Carolus Caluus, insitâ ambitione, & cupidine imperandi, continuo in Italiam penetrauit, frustra Alpes tenente Ludouico fratre, occupatisque mortui Imperatoris regno, & thesauris, rectâ Romam tetendit, multisq; pecunijs Romanorum gratiam emeratus, Imperator, & Augustus salutatus est, & ab Ioanne pontifice coronatus. Constitutâ mox Italiâ, contra fratrem bellum temerarium parauit. At ille, sequenti anno, cum principum, & populi Gallici precibus dedisset, ne Galliam, fortissimo, quem contra Caroli impotentiam, & vecordiam collegerat, milite, peruastaret, Francofurtum rediens, ibidem V. Kal. Septembris extinctus est, regni Germanici anno xxxvi. Et Lauresheimensi monasterio sepultus, eximiâ fortitudinis, pietatis, & iustitiæ laude. Eius morte acceptâ latus,

& victo-

& victoriæ veluti securus, subito in Germaniæ fines exercitum Carolus duxit, opidaque apud Rhenum aliquot potitus, acie cum Ludouici liberis decertauit apud Andernacum, turpique, & ignominiosâ fugâ, plurimis suorum cæsis, amissis etiam castris, salutem quæsiuit VIII. idus octobris. Fratres, partâ insigni victoriâ, regnum paternum diuiserunt. Carolmannus Bauariam, Pannonias, Carnutum, siue Carnithiam, quam corruptè Carinthiam dicimus; Ludouicus Franciam Orientalem, Thuringiam, Saxoniam, Frisiam, partemque regni Lotharij, quæ circa Vbios: Carolus denique, qui Crassus dictus est, & postea imperauit, Allemanniam, Lotharingiam, & quidquid præterea Lotharij fuerat, Heluetiam vniuersam, pacemque inter se sacramento sanxere. Anno octingentesimo septimo & septuagesimo Carolomānus cōtra patrum in Italiam copias duxit saltu Tridentino. Ipse proelium haut aspernatus, & mox consueto more profugus inter fugiendum dyfenteriâ, siue Sedechiæ medici dolus fuit, Mantuæ perijt, Nonas octobris, & Agauni sepultus est. Ex eius morte de Imperij titulo exorta contentio, proceribus Romanis aduersus Carolum Crassum pronioribus, & Ioāne pontifice Ludouico Balbo, Calui filio fauente. Sed Crassus missis in Italiam cum validâ manu Lamperto, & Adelberto Comitibus Italiâ facilè occupauit, Romanum populum, & proceres sacramentum adegit. Anno sequenti Ioannes in Galliam elapsus Ludouicum Balbum Imperatorem coronauit. At cui vita deinceps breuis fuit. Obijt enim Compendij anno octingentesimo nono & septuagesimo. Et Ioannes sumto in comitem, & auxiliatorem Bosone Prouinciæ rege in Italiam redijt. Balbi morte Imperium absque controuersiâ, aut consorte, æmulouè Carolo permansit. Imò plerisque Ludouicus Balbus nullū inter Imperatores nomē habet. Anno octingentesimo octuagesimo obijt, membris contractis, Carolomānus, relicto Arnulpho ex concubinâ filio, quem Carinthiæ, & Pannoniæ præfecerat. Ludouicus, Bauaria ex fratris morte constituta, contra Nortmannos profectus aliquot eorum millia cecidit. Crassus pariter anno sequenti, in Italiam exercitum duxit, primò Longobar-

A. D. X.

DCCC.
LXXVII.

A. D. N.

DCCC.
LXXVIII.

A. D. N.

DCCC.
LXXIX.

A. D. N.

DCCC.
LXXX.

A. D. X.

DCCC.
LXXXI.

A. D. N.
DCCC.
LXXXII.

dos, mox paucis diebus Italiam totam in fidem accepit, Romæque Imperator, & Augustus multo populi favore salutatus, & ab Ioanne pontifice cum Richardâ conjugè coronatus est. Hinc Imperatores Germani, & Imperium Romanogermanicum. Ludouicus eodem tempore claram de Nortmannis victoriam reportauit. Sed illi quàm antea multo infestiores clarissimas Belgij vrbes incenderunt, Aquisgranum, Coloniam, Bonnam, Traiectum, Leodicum, alias plures, & illustria earum partium Monasteria, Prumiam, Stabulum, Indam; contra quos, cùm quia valetudine ipse prohibebatur, exercitum misit, & paullo post, morbo superante, esse desijt, xii. Kal. Februarij anno octingentesimo octuagesimo secundo, & Lauresheimi apud patrem conditur nullâ prole. Nortmanni eius morte liberati metu, & successu audetiores Treuerensem ciuitatem inflamarunt, peruagataq; Lotharingia, Valacum Mediomatricum Episcopum occurrere paucis copijs ausum acie interfecerunt, copias deleuerunt. Cunctis hinc euastatis, in munitionem, quâ secundum Mosam constituerant, prædâ totius Germaniæ inferioris onusti se receperunt. Carolus obitu fratris quoq; & crebris suorum literis, & nuncijs in Germaniam ex Italia reuocatus Vormatiæ conuentum habuit, factoque ingenti exercitu, in Nortmannos duxit, eosque in eadem, quam tenebant, munitione obsedit, oppugnauit, & ad deditionem coegit. Reges eorum, obsidibus datis, auctore, & præsentè Imperatore salutaribus vndis expiati sunt, & in Christianorum numerû magna omnium congratulatione cooptati, mense August. Anno octingentesimo tertio & octogesimo Ioanne defuncto, siue ab propinquo interfecto, pontificiam in sedem adsumptus est Martinus II. quem Marinum alij vocât. Carolus eius electione acceptâ, in Italiam, vt cum eo colloquium haberet, profectus est, breui Zuendibaldi Morauix ducis rebellionè, in Pannoniam, quam vastabat is, regressus ipsum supplicem, & omnia promittentem, in gratiam recepit, rursusq; per Carnutum in Italiam remeans Papiæ natalitios dies egit. Ibidem Italicensium agitato cõuentu Vidonem Spoletanum ducem

A. D. N.
DCCC.
LXXXIII.

A. D. N.
DCCC.
LXXXIV.

veniam

veniam deprecantem maiestatis absoluit. Occidit eodem tempore Carolomannus Ludouici Balbi filius nothus, qui post patris mortem regnum Galliaë strenuè administrauerat. Eo mortuo Nortmanni, qui se cum defuncto, non regno pacem, & amicitiam sanxisse jaëtitabant, in Galliam inuasere, & pleraque maritima populati sunt. Vnde proceres regni ad Carolum misere qui regni coronam deferrent, & contra hostes opem deprecarentur. Carolus ex Italia in Galliam transiens regni gubernacula cepit, Nortmannos repressit, colloquiumque cum Martino initurus Vormatiam concessit. At illum in itinere mors oppressit. Cui successus Hadrianus III. Igitur Imperator, anno sequenti, Ratisbonam profectus, ibidem Germaniaë principum belli in Nortmanos gerendi conuentum fecit. Mox ab pontifice in Italiam invitatus Ticini aliquadiu substitit. Hinc Peninis Alpibus in Burgundiam delapsus cum Nortmannis parum feliciter pugnavit. Eodem anno, Hadriano extincto, Stephanus V. Pontificatum maximum adeptus est. Sed anno octingentesimo octogesimo septimo Imperatorem, jam quoque mente per valetudinem alienatam, plerique omnes principes deseruere. Cumque regno, & tot hostibus capite, & duce opus esset, Germaniaë proceres, comitijs Francofurtensibus, Arnulphum Carolomanni filium regnare iusserunt. Et Carolum Grassum, maiestate, gloria, rerum omnium adfluentiam secundum Carolum Magnum nulli secundum ea inopia, & indigentia inuasit, ut vix quæ victui sunt ab Luitperto Maguntiacensi antistite emendicaret, raro, & commemorabili rerum humanarum exemplo. Arnulphus res in Gallia ex animi sententia composuit. Anno octingentesimi octogesimo octauo initium morte sua illustravit Carolus. Obijt Endingæ Allemâniae vico pridie eisdus Ianuarij, translatus inde ad Augiam, vbi ante DEIP. MATRIS aram sepultus est, non absque sanctitatis opinione. Eius mortem Imperij secula laceratio. Otho enim Ruperti filius Galliaë maiorem partem occupauit. Rudolfus Cunradi filius Burgundiam: Berengarius Eberhardi filius Italiam, alij alia inuasere. Rudho in Augiam etiam mortuo successit Hatto. Anno octingentesimo

A. D. N.

D. CCC.
LXXXV.

A. D. N.

DCC.
LXXXVI.

A. D. N.

DCCC.
LXXXVII.

A. D. N.

DCCC.
LXXXIIX.

nono

A. D. N.
DCCC.
LXXXIX.

nono & octogesimo Arnulphus Cæsar Hunnos gentem barbaram, & quorum sæuitiam, & immanem crudelitatem omnes postea pæne, cum plurimarum vrbiū excidio, expertæ gentes, montium vastis molibus Germaniæ Imperio disparatos contra Zuentibaldum Morauum totiens rebellantē auxilio exciuit, eumque ad deditiōem coegit. Crebris hinc ab pontificenuncijs, & literis sollicitatus Italiam ex tot tyrannorum, & improborum factionibus eriperet, conuentum, anno

A. D. N.
DCCC.
XC.

sequenti, Forchthheim agitauit, nec quidquam tunc instituit.

Constantiam inde, & Augiam orandi gratiā accessit. Salomoni II. Constantiensi Episcopo claræ sanctitatis viro, successit Salomon III. eo tempore abbas S. Galli magnæ nobilitatis, & prudentiæ, nec non eruditionis. Annus octingentesimus nonagesimus primus Nortmannorum clade memorabilis fuit. Sæpius illi hætenus ferro, pluriens donis, & muneribus ab hostilitate repressi fuerant, pacem, continentiam promiserant, sed, ingenitā barbaris leuitate, aut prædæ cupidine, ab Galliæ, & Imperij finibus, & vastitate temperare nequibant. Iam quoque Sunderoldum Maguntiacensem archiepiscopum violentiam, & improbitatem eorum coercere conatum acie interemerant, Lotharingiam, & vicina Belgia populauerant. Vnde & insignis antistitis cæde, & hostium peruicacia motus Arnulphus, etsi Slauorum bello attinebatur, copias in eos properauit, ingentique animo, & exercitus fortitudine insolentes, & rebus ante gestis feroces, & minabundos inuasit, & prope internicione deleuit, centum eorū millibus desideratis, adeo vt vix qui ad classē nuncium cladis reportarit fuerit repertus. Et ab illo suis se finibus continere. Sunderoldo archiepiscopo successit Hatto abbas Augiæ clarus ingenio, & sanctitate. Eodem anno, post Stephanum factus pontifex Formosus Portuensis Episcopus, qui mox sequenti anno Arnulphum, ad suscipiendam coronam, & tyrannos extirpandos per legatos subito inuitauit. Anno octingentesimo quarto & nonagesimo tandem in Italiam profectus Arnulphus, mense Februario Insubriam, & regni Longobardici maiorem partem subiecit. Expugnato Bergamo Am-

A. D. N.
DCCC.
XCII.

brofium

A. D. N.
DCCC.
XCIV.

brofium

brofium eius Comitem laqueo ex proximâ arbore suspendit, quo supplicio pleriq; territi deditioem fecerê, inprimis Berengarius. Constatâ aliquatenus Italiâ, Peninis Alpibus in Burgundiam contra Rudolfum regem descendit, & eo in firmissima montium receptacula abdito, prouinciam grauer adflixit. Breui postea Tribuariæ principum conuentu facto in Italiam redijt. Anno octingentesimo nonagesimo sexto Romam tetendit, obseratamque, contra pontificis voluntatem, Lamperti Vidonis filij, & Angeltrudæ matris factione, & opibus, vi expugnauit primus omnium regum, & Imperatorum, & coronam ab Formoso magnâ frequentiâ, & celebritate accepit. Vrbe compositâ, & proceribus sacramento adactis, adpersequendos rebelles copias eduxit. Sed in itinere valetudine tentatus, & per aëris mutationem meliora sperans in Germaniâ, re infectâ, properauit. Lambertus, & Berengarius, qui post Imperatoris abitum subito defecerant, Italiam inter se diuisere, & per tyrânidem variè exercuerunt. Formoso paullo post defuncto, Sedem Apostolicam inuadit Bonifacius sed qui quintum, & decimum eâ in dignitate diem non est supergressus. Contra enim legitime acceptatus Stephanus VI. alias VII. nostri ordinis Monasterij Brandalani, implacabili, si scriptoribus quibusdam fides, aduersus Arnulphum Imp. & Formosum antecessorem odio. Fames eadem tempestate, tam dira mortales excruciat ut nonnulli abs sese rabie, & desperatione dentes abstinere nequiuerint. Eodem anno octingentesimo nonagesimo septimo Arnulphus, quia valetudo aggrauabat, sibi & filio Ludouico omnes Imperij principes sacramentum renouare iussit. Stephano Pontifici suffectus Romanus. Anno nonagesimo nono III. Kal. Decembris tandem excessit Arnulphus. Sepultus est Oetingæ apud Patrem Rheginone, qui tum viuebat, teste, aut Ratisbonæ apud D. Emeramum Contracto auctore, multis bellis clarus, & victorij. Proceres Germaniæ conuentu Forchtheimensi Ludouicum Arnulphi filium puerum septennem regnare iusserunt anno sequenti nongētesimo. Sed post Arnulphi obitum & successoris ætate multæ nihilo fecius toto Imperio ena-

tæ turbæ,

A. D. N.

DCCC.
XCVI.

A. D. N.

DCCC.
XCVII.

A. D. N.

DCCC.
XCVIII.

A. D. N.

DCCC.
XCIX.

A. D. N.

D. CCCC.

tæ turbæ, clades, & miseræ, maxime postquã Hungari Italiã factionibus, & intestinis diffidijs diuisam, impunè populati, Bauariam quoq; victores aggressi, inaudita crudelitate, cæde, ferro, flama, cuncta permiscuere, interfectorũ sanguinem sibi inuicem propinantes. Has dissensiones, & bella, regniq; Germanici orbitatem, & corruptelam morum haut ineleganti epistola ad Dadonem Episcopum deplorat Salomon Constantinensis. Inquit enim

*Non mirere, pater, si conflictamur acerbis
Litibus, & pugnis, si motus ferueat orbis;
Sed magis mira putes quod non sint funditus omnes
Et tribus, & populi funesto Marte perempti.
Ah, cum non habeant, qui Fac, vel Desine dicat.*

Postea

*Plura quid his dicam? Desunt ubicunq; regentes:
Disciplina cadit: huic & contraria surgit;
Absque timore quidem nihil esse loquuntur honorem.*

Mox de Ludouici pueritiã ad resistendum imparc, animoque hostibus inde adaucto.

*Infantilis adhuc perfungens nomine regis
Ætas, nec pugna est habilis, nec legibus apta,
Cui Deus indulget regnis, sceproque potiri,
Sed tenerum corpus, seraque ad fortia vires
Despectum proprijs generant, atque hostibus ausum.*

Postremo se ipse quoq; cõsolatur petitis sacrã exhistoriã exemplis, & posse etiam rempublicã constare, Rege adolescente, si fauceat supremum Numen, Iosiam pro argumento ponit, adiungit Samuelem, & Danielem.

*Nobis per Iuuenem veniat benedictio regem
Si rata quam sapiens prodit narratio, codex
Exemplum nobis authentica scriptio ponit.
Monstrans non minimum iuuenili etate dolendam
Strenuus annorum Iosias rex fuit octo
Cum primum regno fungi capisset auito.*

Firma-

*Firmatus vero sensu solidatus, & auro
 Indeptus plenis maturum robur ab annis
 Zelo seruenti studuit seruire Tonanti:
 Instaurat templum, comitque altaribus ipsum,
 Ordinât officium, diuinâione dicatum,
 Legemonet populum, instigat flere reatum.
 Scandala dimouit, lucos excindere iussit,
 Dauiditer vadit, Domino constanter adhaesit.
 Ex quo profecit, qui pusio regna cepisset:
 Quis rogo nunc Iuueni debet diffidere regi?
 Dummodo cuncta regens rex regem dirigat ipse.
 Sincerus certè Samuel, Danielq; Prophetæ
 Essent ætatis pueri cum fortè minoris
 Iudicium senibus decernunt, Iusque gerentis.
 Quadam verba metu posui, solamina quadam,
 Ut quem sollicitet formido, spes animaret.*

Hæc quidem eo tempore Salomon Episcopus illustri,
 ut diximus, virtute, & eruditionis laude præcellens, seip-
 sum, & alios ad spes meliores exfuscitans. Anno nongen-
 tesimo primo Hungari Bauariam vastarunt, commissaque
 ad Licum annum pugnâ multâ strage cæsi sunt. Sed illi,
 compositis insidijs, mox adorti victores, plurimos interfe-
 cerunt. Inde Sueuiam, & Franconiam, rabie insolenti,
 lacerauerunt. Eorundem metu passim vici clariores mœni-
 bus contra impetum inclusi fossis, & munimentis firmati;
 In quibus Tigurum fuit. Eodem anno Romano defuncto
 lectus Theodorus II. quo intra viceesimum diem extincto,
 subrogatur Ioannes IX. nostræ institutionis Tiburti Mona-
 chus. Anno nongentesimo quinto Ioanne defuncto Be-
 nedictus III. creatus Pontifex. Quadragesimus quartus post
 MEGINRADI necē procedebat annus, & Heremus tantisper
 fermè absque cultore assiduo fuit, nisi quia apud vicinos sa-
 cri incolæ celebris memoria vigeat, multiq; qui opem
 ab eo suis in necessitatibus persenserant, voti condemnati
 martyris locum, & ob rara inde, & supra naturam subleua-

A. D. N.
 CCLD. I.

A. D. N.
 CCLD.
 V.

C menta,

menta, & auxilia, quod constituerat ibidem DEIPARÆ VIR-
GINI Sacellum frequentare solitabant. Sed ex his ad longin-
quos quoque fama peruadebat. Motus inde BENNO ex
regiâ Burgundiæ regum stirpe Canonicus Argentinensis (il-
lum Benedictum ex vitæ sanctitudine postea dixerunt) re-
rum humanarum despectu, simul vitæ solitariae cupidi-
ne in eam cum paucis socijs recipere se con-
stituit, fecitque anno nongentesimo
sexto, Ludouico III. Imper.
& Benedicto IV.
Pontifice.



S. BEN.